

atibus vitalis semper ac nutritivus ros suppetat, qui macrorem microcosmi & siccitates imbribus suis temperare, humidum radicale fovere, alendarumq; partium formam assumere aptus natus sit, de quo dici solet: *isdem constamus, quibus nutrimur.* Atque his extemporaneo impetu & incomto stylo in chartam conjectis circularis Lymphæ motus theoriam finio & pergo ad

CAPUT II.

continens

ex

Læsio Lymphæ Circulo oriundos Catarrhos.

§. I.

Explicato hætenus naturali Lymphæ motu, facilius nunc innotescant læsiones ejus, queis exponendis operer, tractandi serie teneor. Unde quidem innumerorum fœcundam morborum segetem pullulare video, quos omnes hæc persequi aut enumerare, meum jam non est, nec finit propositi brevitatis. Sufficiat igitur in præsentia, *catarrhorum* tantum fontes pressè indicasse, cum aliâ occasione præcipuas circulationis Lymphæ læsiones plenius enodare, animo sedeat.

§. II.

Productâ in scenam felicibus auspiciis Lymphâ, vel paucis comprehendi lineolis cœpit vastæ molis operibus aliàs tradi solita catarrhorum historia, adeò, ut quicquid etiam de ferosâ colluvie dictum est à *Pisone*, verba ex *Zassio* sunt *Deusingii Tr. de digestionem*; id ferè omne de Lymphâ sit accipiendum. Genuino autem sensu per catarrhum innuitur Lymphæ neglectæ à glandulis in partem decubitus, lædens functionem partis. Quod præter *Divini Senis* testimonium *libr. de gland. t. 8.* ipsæ corporis eloqvuntur partes, quando oculis & auribus materiam affundi, exulcerationes hinc fieri & inflammationes, gravedine obsideri nares, solutiones quasi ipsius quandoque cerebri in graviori co-

C

ryzâ